

inimicis, ut ea crederent, Religionem iniiciendi. At sunt hodie in nonnullis perpurgatis cœtibus, qui idem ius verbo quidem, non sibi tribuunt; sed re ipsa id sibi arrogare non animaduertunt. Oriuntur enim controuersie; ipsi quam sententiam valere oporteat; definiunt. Ac tametsi nunquam ea doctrinæ capita inter præcipua illa connumerata fuerunt, quæ omnino certa, fixaque esse oporteat; penes eos qui salutis sibi esse velint spem, tamen quisquis eorum sententiæ acquiescere nolit; ac subscribere, eum reiiciunt; ac tanquam Hæreticum insectatur. Quid quæso hoc est? Quod hæc tendunt? Quid sibi volunt? vidimus etiā alicubi Ecclesiasticæ disciplinæ causa peccata non publica deprecari coactos; nonandum Euangelica regula uti præfractos cœtu motos. Quid & hoc rei est? si in consuetudinem; moremque abierit hoc exemplum; prætali; leuissimum iugum erat auricularis, quam vocant; confessio. Hei quam vereor, nisi cauerit Pastores; ac prudenter quid faciant, expendunt, ne, qui Satanæ regnum funditus eversum cupiunt maxime, per eosdem ipsos Satanas aut idem regnum restauret; aut noui cuiuspiam fundamēta ponat. Quid dico autem ponat? immo vero ne posuerit iam, dum volūt homines sua uti prudentia, & suis etiā animorum motibus nonnihil tribuunt. Scrutamini quæso diligenter, quæ fuerint Pontificij regni

Dogmatum
numerius nō
augendus.